

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Suspiria amoris.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

holocaustum amoris tui crucis holocausto ac  
meritis unita.

*Suspiria amoris.*

**D**omine sicut dixisti Catharinæ Senensi velle te, nostra opera & desideria esse quodammodo infinita, ita volo. Utinam ita te amarem, sicut amaris in cælo & in terra, idque cordibus infinitis. Utinam singulis momentis possem unire singula momenta vitæ meæ omnibus meritis vitæ ac mortis JEsu, utinam singulis momentis possem JEsum in Eucharistiæ Sacramento percipere cum præparatione illâ, quâ illum ulla unquam anima vel re ipsâ, vel etiam desiderio accepit, ac te mi Deus ipso JEsu corde amare infinitis modis in infinitum.

**O** Deus medulla optimi, flos pulcherrimi, mysterium pulchritudinis, pulchritudo bonitatis, patria omnis dulcedinis, omni amœnitate jucundior, omni colore jucundior, omni thesauro ditior, doleo, quod per tot vagas & vanas mundi strophas raptatus phæneticus animus meus tantum temporis perdiderit extrate. Jam tibi sim sacer totus, ament te, loquantur tibi oculi mei. Quoties illis cælum aspicerem, toties desidero tibi offerre omnia illa cordium sanctorum desideria, quibus accendeantur Sancti, cum cælum aspicerent. Toties offerre tibi desidero totum illum amorem, quo amaris in cælo à te ipso, à JEsu, à Maria, & ab omnibus Eleætis tuis. Desidero illis adjungi, ut amem te. Quoties respiravero, toties tibi gratias red-

reddere cupio per omnia JESU merita pro beneficiis omnibus , quæ à te accepi , nec ego tantum , sed & omnes creaturæ . Si cor meum intra se haberet aliquem Seraphinum , vel cor Mariæ , vel cor JESU , quod in pectore S. Catharinae Senensis dicitur habitasse , Deus meus quomodo te amaret ! ecce communicans vel Sacrum indies dicens habeo in pectore Jesum quotidie ; ille te amet in me , amorem meum illius cordi committo . O si , quemadmodum integræ Dæmonum legiones unius hominis corpus feruntur ingressæ , ita ego uno corde omnes beatos spiritus complecti possem . O quam felix tunc esset cor meum adeo plenum Choris lamentantium Angelorum . Si haberem in corde meo omnes Martyres , omnes vellem expirare Martyrio doloris & amoris tui ô Deus digne , pro quo per Martyrium omnis vita omnium mortaliuum immoletur .

*Intentio.*

O Mi Deus , si singula , quæ facio , possem ad supremum tibi placendi seu eminentissimæ intentionis apicem elevate , facerem . Et nunc illo fine omnia offero divinæ Majestati tuæ . O si quoties te ego & omnis creatura offendit , toties possem hanc animam pro te ponere , omnesque dolores & agones omnium pro te & in te preciosâ morte Defunctorum in corpore meo tibi velut in holocaustum offerre . Amo te mi Deus ideo vel maximè , quod te ut infinitum